

su enim majoris prægravatus prohibetur, ne distinctè percipiatur minus. Ita parietes Solaribus radiis illustrati nobis in aprico positus non tam splendere quam apparere saltem videntur, quamvis eorum resplendescencia oculis in obscuro positus nequaquam sit tolerabilis. Ita diurno tempore Lunam supra horizontem simul cum Sole conspicuam plenam excipere solemus oculis, quasi minus lucentem, quam ejusdem diei nocturno tempore vix limis quod ajunt respicere valemus, cum tamen eodem lumine luceat.

CAPUT VI.

APPLICATIO.

EX his quæ dicta sunt hæctenus luce meridianam clarius elucescit, globum hunc terraqueum, quem inhabitamus, utut ex se non minus obscurus quam opacus sit, quia tamen æquè ac Luna Soli semper exponitur, ejusque lumen ad eundem modum excipit, radiis opacitate repercussis & asperitate suâ hemisphæricè dispersis in plagas oppositas, non minus etiam, ac Lunam, splendere, præsertim cum ex ipsâ Lunâ in illuminationis hemisphærio versante, ejusque disco tum temporis obscuro spectatur, ita quidem ut, colore ejus genuino radiis copiosioribus, reflexione multiplici velut implicatis, tecto, nec viridis illic ubi prata sunt, nec flavus ubi segetes, nec cæruleus ubi sylvæ, sed instar Lunæ saltem splendidus, appareat. Quod ut distinctius percipiatur, sit sequens Syllogismus:

Omne corpus, quod, non minori opacitate, asperitate, magnitudine quam Luna præditum, Solaribus radiis directis ex æquali distantia illustratur, illud non minus quam Luna splendet, si ex eadem distantia spectetur.

Atqui Terra est corpus, quod, non minori opacitate, asperitate,

asperitate,